



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofurti, 1684**

35 Roboam Salomonis Filius. Parallela.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Veneris perfidiâ ; quæ in alios non mitior, quam in Filium ;  
Amantes excæcat, ut Amorem.

Hinc Asmodæi quam Dei legibus obsequentior,  
Suorum Idolorum Idola coluit;

Et Venerem veneratur venereus.

Ut non immetitò Venerem vocariunt Luciferum,

Cum alter colatur in altero.

Sequuta, ut solet, luxuriem feritas :

, , Nam nimia liberalitas rapiens alitur.

Ergo, Regni opibus in gynæco profligatis,

Per gravissima tributa amicos nudat, ut amicas ornent,

Quin per magicas artes aurum scrutatus,

Feralis Ærufator, vestigales Dæmonas facit ;

Et Plutum querit apud Plutonem.

Tot inter flagitia pacem amisit pacificus :

Salomo, non jam Salomo.

Bellante Idumæo, latronum duce.

Rebellante Jeroboamo tributorum quæstore ;

Per Mammonæ ministros, Mammonæ cultor affigitur :

Donec divine Numine afflatus Achias

Suum pallium, & Salomonis Regnum, divisit.

Sic obiit insanus Sapiens ;

Hebræorum decus & dedecus.

Inops inter opes, sterilis inter conjugia,

Unico de tot thalamis suscepto Filio.

Nam nihil Veneri nocentius, quam Venus,

Primus è Christi Proavis Stygem coluit ;

Et primus intravit.

In dubio arguento : nam Idola posuit, non sustulit ;

Et flenda leguntur, non fletus,

O taga Puellarum forma,

Quæ insanire Sapientiam facit,

Et Hominem vertit in Scyllam,

Oh, si sapitis, hanc Scyllam fugite.

## ROBOAM

SALOMONIS FILIUS.

PA-

MUNDI  
PARALLELA.

Insano insanus succedit natus ;  
Natus ex nondum insano.  
,, Mala exempla natalibus prævalent.  
Uterque Regnum suscepit ;  
Ille annis tantum, hic tantum ingenio puer,  
Sed juvenis Salomo senes audiit ;  
Senex Roboam juvenes audiit :  
Sero erudiendus periculo,  
,, Juvenili Senatu Regna senescere.  
Pari libidine uxoria dedicant Idola :  
Sed ille Venerem, hic Priapum ;  
Effeminatus virilem.  
Cujus Sacerdotio perfuncta Coniux, amat quod colit;  
Tali Numinis melior victimæ, quam Sacerdos,  
Parientia Conjugum gregem pascunt.  
Sed ille majorem, quia ditione ;  
Nam sine Mammona fuit Asmodæus.  
Pari levitate populum tributis gravant.  
Sed ille mollius, hic durius.  
Nam rapacitati additis convitiis  
Bis sera, unguis nocte, & lingua.  
Pari in utrumque seditione, conspirat populus ut respire,  
Sed ille turbas placavit, hic placando turbavit.  
Nam Aduram tributis Præfectum,  
Mulcendo cœtui delegat, quem mulgendo censui delegat,  
Qui magnetica eadem facundia,  
Lapides transt, qua autum traxerat.  
Uterque flevit Regni schisma.  
Sed ille adumbratum, hic verum.  
Nam diviso cum Religione Principatu,  
Roboamo Judaicus, Jeroboamo Isæliticus cessit;  
,, Nihil enim citius Regna secat, quam secta.  
Pari fato externos irritant Reges,  
Sed ille proculbit, hic succumbit.  
Nam Ægyptius Phatao Selostris,  
Roboamum libertate, auro Templum nudavit.  
Adeo intestina dissidia, finitimorum sunt lucra.  
Pari affectatione Templum ornant, non colunt.  
Sed ille aureis, hic æneis donis ;  
Ut ex dispari æario nosceret,

Quan

Quam citò sœculi metallum degeneret,  
Paria igitur vitia pat sequitur poena.  
Cupidinis enim flammis ad Tartari flamas acti  
Alternis se ignibus cruciant.  
Lite dubia, uter insanior  
Qui sapuit aliquando, an qui nunquam.

*A B I A S*  
*ROBOAMI FILIUS.*

*EDICTUM.*

Adeste Cives, Advenæ, Convenæque.  
Quod Abias Roboami & Maacæ Filius;  
Paternam impietatem, & maternam libidinem retinuit:  
Quod ex malis malos geniturus,  
Omnium mulierum vir, omnium virorum mulierem duxit,  
Mores ut nomine Matri similem?  
Quod ultimis ceris scriptus hæres;  
Secluso primogenito, nihilo melior evasit;  
Et legum vindex, vivit sine lege:  
Quod veræ Religionis suæ, non sectator,  
Et fari promptior quam facere,  
Non percepit quæ præcepit:  
Quod justiore ferro, quam mente,  
De perduelli Jeroboamo Victoriam naviter potitus,  
Ignaviter est usus;  
Et quingentis millibus Israelitarum cælitus necatis,  
Idololatras conterere maluit, quam Idola:  
Quot Bethel & Sichem schismaticas Urbes  
Triumphator ingressus,  
Fanorum aurum, non profanorum aras sustulit;  
Et prædata captivarum pudicitia;  
Urbem lustris implevit, non lustravit.  
Quod parta libertate  
Bis-senis connubiis statim mancipatus;  
Gnæco citius quam Templo recepus,  
Manubiis Sanctuario debitis thalomos cumulavit:  
Deniq; quod octo supra triginta liberis undecunq; genitis  
Paterna vitia pro patrimonio reliquit:

F

Hunc